



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Anglia

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1671

Capvt IV. Nocens fit Campianus, ex innocenti eius epistola. Reuocatur ad priuatam disputationem; de inuisibili Caluini Ecclesia; Disputationis materia; alienus Aduersariorum in disputando modus. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10773

scribebat. Eodem, inquit de tormentis agens, in *Sacerdotes alios qui capti cum eo fuerant consilio vsi sunt, ut si cuius nomen Catholici nobilis exprimeret dolorum atrocitas, vulgarent illum à Campiano nominatum; ut constato illi perfidia tantè dedecore, facerent Catholici exosum.* De quo, & aliis quos eius exemplum corroboravit in fide sacri silentij, debetur hic illis viri tanti grauissimum, sanctissimumque iudicium. De iis, ait ibidem, iure dixerimus, subiisse illos duplex martyrium, fidei alterum, alterum caritatis; illud, abhorrendo ab hæreticis, istud cælando Catholicos quorum vi magna tormentorum vrgebantur nomina edere; in illo fidei erga Deum, in hoc erga proximum tenaces, vtrouque meo iudicio martyres] quod si Baro, & duo quos diximus calcaris aurei Equites, nouem millibus nummorum damnati sunt, non idcirco euenit, quod haberet causa Campiani cum iis aliquid commune, sed quia Osbumi Sacerdotis interfuisse sacro dicerentur, quod etsi nunquam satis probatum sit, rei tamen & fontes, iure iniuria pronuntiati sunt, quod essent Catholici, & insuper diuites, sic enim Reginae Ministri pro arbitrio atque libidine Catholicorum nobilium nundinabantur opes, & capita. Sequamur nunc, & obseruemus quantam perniciem Campiano consiliarij Reginae intulerint, ficta illa secreti violatione quam illi tribuebant.



*Nocens fit Campianus, ex innocenti eius epistola.
Renouatur ad priuatam disputationem; de inuisibili Caluini Ecclesia; Disputationis materia; alienus Aduersariorum in disputando modus.
Campiani virtus, sapientia, & victoria.*

CAPVT IV.

NOBILEM Christi Iesu testem Pondum, Senatus Londinensis, ex suburbano mitiori, minúsque seruato carcere in ærumnosius transtulerat barathrum vbi rei insignes (& sunt huiusmodi qui Turri clauduntur, vel generis nobilitate, vel scelerum) singulos singuli suos habent custodes. Resciuit igitur ex suo Pondus, probrosum rumorem qui de Campiano circumferebatur, siebátque illorum qui hunc adstruebant auctoritate credibilis; & hærebat ipsemet dubius in ancipiti Pondus, tantò magis afflictus, quantò iure maiori videbatur sibi perplexus ambigere: vrque in Dei causa, & Catholicae studio ardebat totus, ad Campianum scripsit, tam attemperato inter fiduciam & metum stylo, vt pendere incertus videretur, nec tanti viri constantia certius fidere, quam

iactatis de illo sermonibus aut suspicionem aut, fidem aliquam commodare. Claudebat epistolam rogans, ne hanc sibi afflicto consolationem denegaret certiorémque se ex veris, & certis faceret; maximè vero de relictis hospitem Catholicorum nominibus, & peccatis quæ sibi credita fuissent in sacræ confessionis arcano tribunali. Clausam epistolam custodi, quòd alius deesset, tradit perferendam, reluctanti, & multum rogato, multumque iurato se Campiano redditurum; quod officium Ponus octo nummis emit, quos angellotti quatuor faciunt. At ratus epistolam perfidus tanto secreti ambitu, & pretio creditam, premere aliquid quo posset ab Optono fieri ditior; huic illam reddidit, qui saluo reclusam sigillo, perlectam, & denuo concinnè clausam reddi mandavit Campiano, sed furtim, ad proditoris fucum, eiusque ad se responsum ferri, quod non diu moratus Campianus paucis verbis absoluit, sed quæ sufficerent ad eximendum Ponus metum omnem, & anxietatem. Aiebat se Dei gratia qui sibi animos dedisset etiam vires accepturum, ne quid sibi equulei dolor, aut quæstionis cuiusvis immanitas extorqueret, quod esset in damnum Ecclesiæ Dei, quæ dum rescriberet, iis singulariter intendebat quorum dicebatur suspicionem tribuisse; editis scilicet Catholicorum nominibus & pœnitentium confessionibus, quod & ipse Optono in equuleo pendens professus est, & toti Londino, sub patibulo positus. Verum ita Optonus & publici status consiliarij, responsum hoc interpretati sunt, ut peius non posset ad auctoris mentem; commodius, & plausibilis ad suam. Resciturum est enim multorum literis Londini, ex quo tentus est Campianus, decreuisse illos ob publicas Regni rationes, habere illum aut Protestantem aut mortuum; & siquidem mortuum, quolibet potius alio nomine quàm Religionis, damnari enim quemquam hoc nomine Regina non ferebat, seu quod Catholicis gloriosum, seu quod sibi probrosum censeret; integritati enim studebat præ omnibus, utinam, & eius merito. Fuit ergo solennis Ministrorum iudicatio, sic vultus causarum & speciem vertere, ut quod erat Religionis decus, & cultus, in rebellionis crimen euaderet, vel simile aliquod, maiestatis supplicio plectendum. Quare illud ad Ponus Campiani responsum, non commissurum vi vlla tormentorum, ut sibi quicquam excideret, quod posset Ecclesiæ Dei officere, mirè ad illorum cecidit genium, quod sensus esset ita vasti, ut possent illum ad significanda quæcumque liberet flectere. Nam Dei Ecclesiam Campianus quoque Romanam volebat intelligi: deliberatam vero constantiam tacendi omnia quæ possent illi damno esse, interpretabantur coniurationis alicuius inuolabile arcanum ad quam essent à Papa in Angliam missi, ut aiebant Sanderum paulo ante ad sollicitandam rebus nouis in Iberniam missum: sic inter Optonum, Cæcilium, Vvalsinganum, & alios tunc quidem statutum, & conuentum; postea obseruatum; nec torquendi tunc prope Campiani, nec post paulum necandi, præiudicatæ opinionis aut probationis colorem alium, prælinere vnquam potuerunt, nisi paucula hæc ad Ponus verba, explicanda omnino ad mentem quærentis, & interro-

gan tis,

gantis, at ea Ministri detorsere ad conuincendum scriptura propria concilium coniurationis, & confitentem, in eaque cælanda obfirmatum. Restabat ultimo vt iterarentur disputationes, & promissa, si forte vtrovis sic expugnaretur, quo nihil vnquam ardentius mouerant, aut verè hunc sibi addicerent, aut saltem simulatè; hæc autem si parùm procederent, ad equuleos cruciatus, damnationis sententiam & supplicium vltimum veniretur, cuius ipsemet causam suis literis instruxisset.

Die igitur Septembris sexto, & decimo indicitur illi in diem sequenti posterum disputatio altera, iubeturque ex suo Rationum decem libello certandi materiam legeret quam mallet; librum omnem respondit se aduersus omnes & Academias, & mortales propugnaturum; si tamen culpam adstringeretur argumento, cum ante iam esset de sacræ paginæ (qua vna nituntur hæretici) deprauatione, concertatum; viderent an foret iis commodum secundam aggredi rationem, de natura, & notis Ecclesiæ propriis, quod vtrum admitterent ignarus, librisque destitutus, quorum grandi numero citarat loca, obiectis quin etiam instare vetitus, aut leuissimo etiam argumento rectè vel obliquè impugnatores remorari; manè sub horam diei octauam, nam erant huius eadem horæ quæ prioris disputationis, in Turrin, & Optoni aulam perducitur quo vnde triginta nec plures conuenerant: Comes vnus, Equites calcaris aurei tres; cæteri aut literati, aut nobiles: ad mensam multis instructam codicibus sedebant Fulxus, & Goadius qui Nouello, & Dayo successerant, è regione in scamno Campianus cum solis quæ illi ad defensionem permissa fuerant Bibliis. Ad alteram notariorum vice, idem qui nuper Ciarkus, & pro Vvittachero, Fieldus, qui disputationis acta exciperent. Disputationem aperuit Fulxus solita ad orandum inuitatione, & sonorum *Oremus* magna grauitate intonuit; reliquis ad eius preces nescio quas flexis in genua, & respondentibus. Campianus ne se cum iis misceret, apud se tacitus & silens orauit; cunctisque iam confidentibus assurgens, reuerenter, & clara voce se cruce signauit, quod ab adstantibus sed dissimulanter, & solis nutibus irrisum. Post cœpit Fulxus, & data optione Campiano iussum expedire libri sui partem secundam propugnaret, vbi de Ecclesia scribens visibili; Calvinus inquit, videri noluit in Ecclesiam pugnare, quam tories Scripturæ nominant, sed eam retento nomine funditus euertit. Delineauit enim Ecclesiam iis conditionibus, & notis. Quæ tollunt illam prorsus ab oculis, nec sinunt sub sensu cadere, velut ideam Platonis, sed interiori solum paucorum aspectui cernendam permittunt, qui peculiari spiritus afflatu, illud eius corpus aëreum mente conspiciantur, & plusquam lyncea perspicacitate discernunt illos ab iis, qui ad eius numerum pertinent. Vbi vero hic ingenuitas, & candore vbi simplicitas? quod paginæ sacræ oraculum, quæ inuenta, qui Patres, hisce coloribus designare Ecclesiam? quibus eius ex libro perlectis. Quæsitum, an vellet suum illud aduersus Caluiam pronuntiatum defendere. Campianus præmisso, quod iure animo repostum gerebat; meo, inquit, libello petieram, dispu-

tate publicè vel audiri; ante quindecim dies accitus sum improuisus, atque imparatus, ad tuendam partem libri mei priorem; dicuntur in vulgi manibus conflictus illius acta volitare, haud qualis re vera is fuit, sed qualem vestri Theologi impugnatores mei, fore sibi honori censuerunt, quo pacto vulgantur tanquam mea, quæ mihi nunquam in animum, multo minus in linguam venerunt? hæccine agendi fidelitas? vt persuasis omnibus æquato nos Marte configere, descendatis in campum probè comparati, ego penitus imparatus? vos cum Notariis vestrarum partium; ego nemine Catholicorum teste, qui religiosè mea ex veris responsa annotet? & præsens aderat Ciarcus ex duobus alter in disputatione priori Notarius, quem cogebat famæ & officij ratio fateri vel diuersè ab iis quæ audierat excepta scripsisse; vel ab iis quæ scripserat diuersè, Nouellum in typos misisse; verum aut pro se quo satisfaceret non habens, aut refugiens Nouellum accusare, surdum finxit, & mutum; nec verbum ad ea vllum misit. Multo incautior Fulkus Doctor, cui sui honoris præoccupata vindicatione, cum profiteretur se ad disputandum planè imparatum accedere; suo more placidè Campianus; at hoc ordo librorum præclarus non loquitur quos habes ad mensam, & ad manum vt contra me exeras. Incipe nihilo fecius, hoc solum te monitum volo hanc esse Dei causam; certamen nobis esse non de ingenio, & gloria, sed de indaganda quam amplectamur veritate, à quo esse videntur alieni, qui me improuisum ad pugnam vocarunt, quasi eius summa sit, victores iure an secus appareant, præligatis mihi priusquam configerem manibus, vetitisque in vulnus extendere, sed esse sola depulsione ictuum & defensione contentas; hoc est meas nolle audire rationes ne vincant; velle vestras audiri confidentia irrita, sed tamen aliqua vincendi. Quod ne vnquam fiat causæ bonitas faciet, quæ se ipsa est potens ad defensionem sui & triumphum. Hoc interea quod depugnabimus, nec disputatio, nec armis æquatis, & paribus, sed neque publica censeatur.

His tamen si Fulkus ad viuam pungeretur, nihil quod reponeret habuit, sed tria extemplo depromptis argumenta quibus Calvinum tueretur, inuisibilis conditionem Ecclesiæ hoc est Christianismo vniuerso tribuentem velut geminam, & propriam. Cum enim se impius ab Ecclesia Romana segregasset; (& ante hunc Lutherus, & ex vtroque Angliæ Protestantes) nouam essent aggressi Ecclesiam eudere, necessario sequebatur vt reprobarent Catholicam veterem, quam dicerent à Deo reprobata ob cultus superstitiosos & falsos, quos suo à capite Ro. Pontifice duxerat. Anglorum contra Ecclesiam si erant Puritani; acephalam; si Protestantes femineo capite, solam sanctam, legitimam, & quid non? sed cum Ecclesiam Romanam muniret antiquitas ab Apostolorum deducta temporibus, suæ vero auctores Lutherum, & Calvinum, nouitios homines faterentur, necessariò item fateri cogebantur advsque illorum tempora, mundum Ecclesiâ caruisse, nec fuisse totis quatuordecim seculis, Religionem vllam cuius posset vsu, cultuque salutem consequi. At cum desperarent

futuram

futurum aliquem cui fides fieret sacrilegij tam effrontis, & prouidentia diuinæ, fidelitati, pietati varumque sanctorum, & Christi prædicationibus tam iniuriosi, excogitarunt aliud vt minus in speciem horrendum, æquè tamen à vero, & credibili alienum. Denunciauerunt mortalibus (quod nisi ab ipsis, & eorum ex libris, nusquam gentium auditum lectumve fuerat) Christianismum à suo capite Christo Iesu, communi ruina defecisse, sibi que aliud ab eo diuersum caput adsciuisse. Rebellionis huius principium annos nongentos statuunt retrahunt alij ad mille ducentos, & plures ducentis; nonnulli etiam ad ipsos vsque Apostolos, & prima Ecclesie secula. Haudquaquam tamen hoc, tam vniuersali Romanæ Ecclesie lapsu, corruisse puram, sanctam, veram, hoc est eorum Ecclesiam, sed perpetuatam ab Apostolorum temporibus in hoc æuum per continuatas successiones fidelium, qui non alia crederent viderentque, quam quæ postea Calvinus, & Lutherus nostro seculo docuerunt. Interrogati vero quam sibi orbis partem, aut populum in sedem, ea Ecclesia optasset; imo nomen vel vnum, alicuius vnus ex illo populo; negarunt illam, aut locum illius, aut quemquam hominum ad eam spectantium, posse digito monstrari: nec enim esse visibilem, & adspectabilem, sed occultam, soli notam Deo, & quibus visum illi esset, prærogatiui beneficij singularitate, illam eiusque cultores demonstrare. Qua responsione boni viri in illa se induunt, quæ satagebant præ omnibus vitare, sacrilegam nempe in Deum calumniam, à quo non esset hominum saluti satis prouide consultum: nam si nusquam salus extra Ecclesiam, & hanc noluit Deus ipsis quoque illius sequacibus, cognitu esse possibilem, vbi salutem quæret, qui scire non potest, vbi vel vnde quærenda sit? iam cur tantopere occultam illam velint, negentque visibilem? quia, inquit à Papistis vexatam, qua responsione, si credunt idoneam, stupere illos ingenio oportet, cum vexari nisi visibilis, & euident non possit; pergunt tamen ô laxa! & caudices! idcirco negare visibilem, quod nulla eius in omnibus retro seculis mentio, nullum in veteribus synodis, chronologis Patribus possit vestigium designari. Tantam exigit Protestantium fides cæcitatem; & exsculpendi fuere seculis omnibus oculi, ne illorum Ecclesiam cernerent; etsi dicat Giuellus eorum Episcopus, ciuitatem esse supra montem sitam non posse abscondi.

Quam Fulxus probandam susceperat, inuisibilitas, contendebat que à Caluino aptè ac propriè, suæ Ecclesie attributam, secum infert quæ hætenus dicta sunt. Hanc vt assereret artem adhibuit quam solent, quorum ægra est causa, & rationibus laborat; nituntur illam clamoribus fulcire; vociferatus est Fulxus ad rauim, vocisque ad vltimum iacturam, sed prius debitæ moderationis. Sic enim contra Campianum ratiocinatus; credere in Ecclesia, est de fide; fides autem est *inuisibilis*; ergo similiter Ecclesia est *inuisibilis*; monitus non rectè colligi, quod in forma, & sensu peccaret argumentum, essetque negandum quod consequebatur non modo vt falsum, sed nec consequenter, & legitime conclusum. Nam esse Christum, & eius opera de fide apud omnes constare; fidemque non videri, an ergo propterea,

& Christus, & eius opera, & miraculorum editio, Inuisibilia? responde. Respondeo, inquit vir præclarus, debere te esse modestiæ memorem, putauitque mordaci reprehensione abundè obiecta diluisse; cui placidissimè Campianus; habet, mi domine! suas modestia in perferendis tacitè iniuriis partes; habet & veritas in propugnanda Dei causa; & sub hæc Fulko, nihilo felicior successit Goadius, ambòque vnâ sæpius loquebantur, & inuicem turbabant, dum confessum omnem agendi tranquillitas in Campiano iucundè oblectaret, & acumen solers extricandi verbis duobus sophismata quæ illi sexcentis intricabant. Lapso trium horarum spatio abitur; posita prius quæstione post meridiem agitanda. Possétne in rebus fidei vniuersalis Ecclesia errare? quod illi affirmandum, probandumque sumpsère.

Creuit auditorij numerus ad sexaginta; creuit & quæstio, in multas alias diducta, nihilo priori minus difficiles, in iis suos illos valentes Theologos adegit Campianus, ad glutienda tam crassa, & enormia absurda, vt prorumperet interdum exclamans, optarétque adesse Academies Cantabrigiensem & Oxoniensem, spectaturas cuiusmodi capita Theologicis fingeret disciplinis, ex multis paucula ne sim tædio referam. Ac Fulki primum validum Achillem quo esse errori obnoxiam in rebus fidei, totam probabat Ecclesiam, nam errare cùm possent seorsum singuli, posse omnes coniunctim, posse Concilia quantumvis numerosa & œcumenica, vt quæ tota ex singulis constarent, errori obnoxii: quæ argumentatus in hunc modum, exclamauit, ex forma duplici dialecticè demonstrandi, hanc esse certissimam; nec se multum sudans & agitans à Campiano explicuit, esse falsissimam probante, cum toti cuiquam tribuuntur, quæ singularum per se sunt partium, nisi ex regula inductionis Logicæ id fiat. Iam in re præsentis ad statuenda fidei dogmata, promissam à Christo Ecclesiæ suæ, Spiritus sancti præsentiam, & opem; non autem singulis; in quo ambo aduersarij dum certant, & quæritant, eò extra lineas saltarunt vt dicerent; fidem semel animo infusam amitti non posse; sed neque charitatem; & obiectanti Campiano adulterium, & homicidium quæ peccasse se dolens confessus est Dauid, Nathan reprehendit, Deus castigauit: Scripturas, inquit, nec intelligitis, nec ritè accipitis; hæc seruum peccati non faciunt, charitatem non iugulant; electorum peccata sunt, non autem reproborum, ex naturæ profecta fragili, non ex peruerso, & maligno, erátque lepidum audire Theologos sibi ac suis (ad vnum cælo destinatis) liberaliter indulgere ad sensuum omnium explendos motus belluinos, & cupiditates omni turpitudinum genere incestandas. Sed intercessit his Optonus, & vetuit à quæstione proposita longius digredi. Illam itaque resumens Fulkus contendebat, fidelium singulis Spiritum sanctum hora quauis perinde adesse, vt Generalibus Synodis adesse dicebamus, eiusque instinctu singulos, sacras literas dum legunt sensus earum legitimos capere, quam meram Caluini medullam, illa condiebat Christi sententia; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest intrare in regnum Dei.* Sed intelligere nequibat

nequibat Campianus, de Spiritu sancto dictum, expiatis baptismo animis à culpa originis sanctimoniam conferente, quo pacto ad eiusdem docentis magisterium pertineret; atqui retulit Fulkus, in hoc ipso erratis; peccatum enim illud ab ortu congenitum, non tollit baptismus. Fac ergo, ait Campianus, ex te sciam, quo pueri anima recipiatur post baptismum statim morientis? ô sunt, inquit Fulkus hæc diuini arcani inscrutabilia adyta, quæ sibi nec ego nec quisquam mortalium subire arroget. Ne tamen in sicco hæsisse dicatur Fulkus Doctor, & responsione caruisse ad interrogata, etiam superuacanea, nec interroganda; aio infantem, si prædestinatus fuerit saluari; & hoc esto contentus; seque in suo inaccessi arcani receptu tenuit.

Mitto reliqua de adoptione inter iustos, quæ breuius iustificatio dicitur, in qua Campianus, egregiè ab impacto Pelagianismo, Synodum Tridentinam aduersus Goadium vindicauit. Sed digna est planè auditu & fide illa, sui adeo secunda, exhibitio, qua par tantum Doctorum excepit Campianum, asserentem, Dei auxilio posse legem diuinam seruari. Ad quæ Goadius, audite qui adestis, & memoria tenete absurdum palmare, quo nihil estis in vita, vt centum annos vixeritis portentosius audituri, & in eum lusit tanquam ridiculum. Contumeliis huiusmodi hominum assuetus Campianus, quasi minimè aduertisset persecutus est Dei amorem, & proximi explanare quibus duobus lex tota clauderetur; petiitque cur Deus vtrumque imperasset si norat seruari non posse? imperasse respondit Goadius non vt seruarentur, sed eorum violatione, comperta nobis nostra debilitas fieret, spem omnem salutis in Dei misericordia locaremus. Et hæc vobis, subdit Campianus sycophantiæ videntur Deo conuenire: iubere quæ nec vult, nec possunt fieri, vt infractis iis aliud impleamus quod eum velle, magis fingimus quàm scimus? nam si hoc vltimum volebat, cur non clarè, disertè, apertè id iussit, vt solent qui volunt aliquid fieri? cur veram animo mentem pressit? aliam in ore habuit? hisnè aliquid reposuerit Goadius, aut Fulkus non reperi; sed malis effectis, peiorem illos causam assignasse; nempe omnes peccandi cogitationes, tentamenta, motus, iam re ipsa, & verè peccata esse; iis autem carere vt non est situm in nostra potestate; ita neque peccatis abstinere, & quod est consequens Dei legem seruare. Mira res, ait Campianus, scriptura teste beatus vir qui suffert tentationem; vobis testibus, cum peccet maledictus, quod vestra sententia, pro beato, dici à scriptura debuerat. Mira res! subinferunt Doctores, verum Iesuitis; at Dei famulis nec mira nec noua, cùmque his videri causam vicisse voluerunt. Postridie certandi argumentum de diuino sacramento fuit, & incidentibus ex occasione quibusdam aliis obiter. Fulkus sero aduertens stringi se arctius à Campiano appositè vt se inter dicendum dabant aditus captante, denuntiauit Rhetoricæ parceret, volebat scilicet illum abstinere ab retorquendis in ipsos argumentis, sed responderet liquidè negans aut affirmans. Petiit vice versa Campianus, sibi fas esset argumentari saltem semel, aduersarij responderent, veritatem quam inuestigabant

sic facilius emerfuram. At æquè ipsi nihil refugiebant, & ambienti Fulco doctrinæ suæ miracula sub typos mittere in aduersarium patrata semicompetitum; impromptu erat sibi tribuere, quicquid ab se optasset dictum; contradicenti autem respondere, salua existimatione viri docti (cuius erat appetentissimus) non erat ita proum.

Concertationes illius diei ferè abierunt in laudandis Latinorum Patrum, & Græcorum locis, vbi quantò minùs per se propriè valuère, tantò præstantiores Magistris sunt habiti, adeo illa expedite aucterque legebant, illustrabantque glossæ accommodatis in rem suam. At in formandis legitimo verborum numero syllogismis ne boni quidem discipuli visi sunt, multo vero peioris, in iis defendendis velut ex solenni regula conceptis; quare Fulco, admirans Campianus negauit se intelligere quo pacto Magister in diuinis Oxonij, & Cantabrigiæ, nesciret ex Logicæ vsu in syllogismum verba colligere, nec sophisticæ fallacias animaduertere, vt in figura quam vocant *dictionis* ei contigerat. Dixerat enim Fulcus Christum, quod Catholici sentiunt, postrema in cœna, corpus suum dedisse, sed quale tunc erat, perpeffionibus obstrictum; ab iis iam cum sit liberum, immune, beata gloria præditum, nec idem quod ante fuerat; dum illud consecramus nequaquam nos Christi corpus dare. Heri subiicit Campianus emisti carnes erudas, edis hodie quas heri emisti, edis igitur carnes erudas. Satin' tibi videtur legitime colligi? si non posset panis in substantiam corporis mutari nisi malis ferendis obnoxij, uel pro conditione partæ iam gloriæ, illorum minimè capacis, probasses aliquid in rem tuam; sed nihil horum vides tibi suffragari; dabant sibi mutuas operas hi Magistri, & vnus defectu, non desiniebat alter sed æquè plumbeus. Goadius igitur ex his Pauli verbis, *que sursum sunt quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens*; ira concludebat, iubet Apostolus Christum quærere in cœlo; non est igitur in sacramento, & in terris; ineptè alioqui mitteremur ad quærendum procul, quem domi, haberemus. Ad hæc Latini iuxta & Græci dum narrant, quæ gessit Christus in vltima cœna, non aliis vtuntur, nisi communibus panis, & vini vocabulis; Christi ergo cœna panis & vinum est, non eius corpus; ac forte quidem illa Doctorem paralogismi prioris admonerat, dominicæ orationis præfatio, *Pater noster qui es in cœlis*, nisi ex ea vidisset consequi, non esse igitur in terris. Ad panem & vinum quod attinet, quibus vocabulis diuinum Sacramentum Patres significant, respondeo, inquit Campianus; quod fitis opinor dicturi quærentibus quo pacto verum esset cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, mortui resurgunt? quo tendam prospicitis, constituentur panis & vini vocabula postquam esse panis, & vinum desière, vt cæci, & surdi, nomina post sanationem; & addit aliquid ad status præsentis intelligentiam, nominatio præcedentis.

Soluta concertatione Campianus quod libro petierat, iterum institit, vt dicens, aut disputans publicè audiretur, ac si agi ex Patribus, & Synodis placeret tam multa se ex iis, tam perspicua pro se adducturum, vt ipsi


ipsi quoque, ni verum odissent, producta gauderent. Rogauitque Fulxum & Goadium enixè, id sibi à Regina impetrarent. Negarunt penitus se facturos, nec id sibi audere polliceri; timetis igitur, ait Campianus; minimè iniquiunt; sed dedecet hominem tui similem audire. Certè infert ille minimè dedecet Augustinum, & dignus saltem est qui audiatur Augustinus, cuius fasam mox coram recitauit, & luce omni euidentiore de veritate Eucharistiæ sententiam, ex psalmi tricesimi tertij depromptam explicatione; at huic animum, cum aures non possent obturarent, manifestissimæ veritatis à maligna impugnatione. Inde carceri suo redditur Campianus; suam Fulchus edit victoriam, hoc est pertinaciæ obfirmatæ de conscientia triumphantis. Verum se ipse, vtcumque fefellerit, alios certè non potuit; tam raris testibus, aut tam imperitis disputatio cohonestata est, vt dubitatum sit cuiquam cessisset victoria. cuius alioqui memoriam non sepelissent Stouus, Holinshedius, Speedius, Camdenus Angli, Protestantes, & Romanæ fidei hostes coniurati. Quod enim scripserant de Catholicis Præsulibus, sub Elizabethæ primordia, coactis in hæreticos decertare, aduersus Campianum multo libentius iterassent, si victus è Campo abiisset. Ita quidem de illo Camdenus *equuleo admotus, & postea ad disputandum productus, expectationem concitatam agrè sustinuit.* Sed huius scriptoris artem & genium pro suis, & contra Catholicos qui norit, pluris hanc eius confessionem macram, & aridam fecerit quàm aliorum decuplo ampliorem, & illustriorem. Laicos certè ad veracitatem, famæ ratio plus mouit, seu loquerentur, seu tacerent, quàm conscientia Prædicantes; nam si iam ante disputationes debacchabantur ex pulpitis Campianum comburi viuum oportere, quod esset hæreticus pertinax, (& erant intelligendi, quod Catholicus, & Iesuita, & fortiter constans;) multo nunc magis, suo damno experti, quantus in pugnam assurgeret. Sed flocci sint isti, ad testes alios, ex aduersariis, etiam & Protestantibus conditione digniores. Primo inter Nouellum & Campianum certamini matrona interuenit, Ingenij nomine in aula celebris, etsi alioqui sanguine clarior, quàm vitæ probitate. Hæc audito ad finem attentissimè Campiano, & obseruata ipsius præ aduersariis Theologis singulari doctrina & virtute, summæ, inquit discedens, futurum erat imprudentiæ, si concessum huic foret à Regina, quod eam rogauerat, publicè audiri, & dicere, totam erat secum rapturus Angliam, nosque omnes Papistas effecturus. Fuit & consilij Regij iudicium idem, cum ne angusto quidem vt antea, in templi theatro audiri voluerunt, ac propè priuatim; rati erant (quod aiunt illorum temporum scriptores) ad priores illas disputationes, imparatam, & debilitatam simul, tormentis & carcere vim ingenij allaturum, & ex eneruato mentis arcu, non missurum nisi cassa ictu, tela imbellia; sed enim qui suis os, & sapientiam promisit, Campiano illa tam largè tribuit, vt prudentissimos aduersariorum, eius alexæ pœniteret; factique in posterum experimento cautiore, tanquam posita lege decreuerunt, neminem vnquam Iesuitam ad disputandum publicè prouocare, vel prouo-

cantem admittere. Tenebátque illos idem metus etiam tertio post anno, cum Ioannes Nutterus Sacerdos Remis eò reuersus est, nam Euangelicos ministellos, qui tentaturi quid hominis esset, quantæve doctrinæ, ad eum in carcerem venerant, ea pectoris generositate, & efficacia rationum, sic propemodum siderauit, vt suæ pariter accusatores audaciæ, & ignorantia abirent, sed colligerent ex soliditate virtutis, & doctrinæ aut Episcopum esse aut certè Iesuitam, nec disputatione contra illum sed patibulo agendum; quod tandem paulo post factum est.

Cæterum de gestis Campiani sui quotidianis Personius, Romam scribebat in hæc verba; Disputationes eius, quàm sint frugifera fingi animo vix potest; ac si propterea, mortem illi contingat inferri, crescet inde illarum utilitas ingenti fœnore. Nullus hic ferè, nisi de iis sermo, non modo inter Catholicos, sed nec inter aduersarios, & vtrosque summa eius cum laude, tantam illi Deus conciliauit omnium gratiam] ita Personius. Hanc porrò gratiam, virtutis, & sapientiæ merito voluit Deus ab eo parari. Stupebant etiam Protestantes Patrum textus Latinos & Græcos ex improviso recitantem, prolixos, sinceros, & integros; quos aduersarij ex parte, aut mutilos, aut vtrovis in sensum distortos alienum retulerant. Accedebant conferta ex sacris literis ad probandum loca. Et lepidum illud, quod retortis eorum argumentatis utebatur pro suis; sua vero tam valida, quod vnum ei licere voluerant, interserebat furtim, & dissimulanter, vt iis inuoluti vel obmutescerent; vel eum impositi monerent silentij; vel arte nimis crassa quæsito absurdo difficultatem eluderent; vt cum argumento strangulari se Fulkus sentiens, interrogauit quam sedem in prædicamentis materia prima obtineret? nihil non mouere Catholici vt disputationes horarum trium sex, magna fide exceptas, & notatas Nouello eiusque socio in typis, & luce publica exhiberent, recognituris in earum decursu sapientiæ suæ vestigia; sed calcographorum inuentus est nemo, qui vitæ periculum, quantauis pecunia venderet, aded omnes etiam exempla eorum terrebant qui Rationes decem Campiani typis subiecerant. Hanc scientiæ exquisitæ tam affluentem largamque copiam fulciebat virtus haud paulo illustrior, modestia, patientia, serenum oris, & mentis perpetuum, generosus animi habitus nullis iniuriis offensi quas aduersarij, in causæ subsidium accersebant; pietas denique singularis, celebrata sunt hæc omnium laudibus, & quamuis infenso in illum animo Protestantes, suos illi sed frustra optassent, ministellos esse consimiles.

Tantæ demum virtuti, & sapientiæ attributa est multorum ad Catholicum dogma conuersio, in quibus comes Arundelus, Sureyus, Philippus Hauardus, Ducis Norfolkiciæ natu primus, & Angliæ procerum maximus, tunc quidem alia omnia cogitans quàm aut Catholicum, aut saltem Christianum; sed in aula totus, eaque illorum temporum propria. Post spectatum tamen, & auditum Campiani cum aduersariis conflictum, primos viro satus, & desideria infudit Deus, mutationis in religionem, vitamque Catholicam, ad quam illum Patres Hayuodius, & Vveltonus excoluere diuinis

diuinis præfidijs; ipse illam constanter in carcere pretiosa morte coronauit spreta Reginae gratia, promissis, & opibus, si vel pedem inferre in templa protestantium cogi posset. Claudio solennes has Campiani disputationes, Alani epistola Romam scripta, facit enim ad ea quæ sequuntur. Quotquot, inquit, hic sumus, erat autem Remis quo perferebatur ad illum ex Anglia quicquid circa Religionem moueretur, vehementer doluimus, prehensione, & carcere Campiani, certum tamen habemus communi omnium iudicio, & assensu, ad rei Catholicæ propagationem, nihil potuisse felicius aut admirabilius euenire. Euocati sunt Principes doctrinarum ex Academijs, ut committerentur cum eo eiusque socijs; ex quo ille conflictu, opinione quoque aduersariorum, ac prope confesso semper victor exiuit. Hostibus igitur in illum præter tormenta nihil superest] quod nimis certò Alanus diuinavit.



Torquetur iterato, crudeliusque Campianus. Aduersariorum effrons audacia, qui vulgarunt illum mitissimè habitum. Quis esset P. Jacobus Bosgravius? eiusdem quis lapsus in frequentandis Protestantium templis; eiusdem pœnitentia, & carcer. Stylus capitalium iudiciorum in Anglia.

CAPVT V.

CAMPIANI deprauatione in verum aut fictum Protestantem à Ministris Regijs desperata, ad præiudicatam venero sententiam qua stabilierant sic eum de medio tollere, ne Religionis causa videretur, sed status publici occisus; cuius rei colorem in, ut censebant, plusquam idoneum, in promptu haberet Optonus, responsum cuius haud pridem meminimus ad literas Pondi; quod ipsi eum velent de rebellionem intelligi, cuius esset vel auctor vel conscius, extorquenda erat cruciamentis grauissimis, noxæ tam atrocis confessio. Igitur Octobris tricesimo primo, tertium equuleo admouetur; & quartum biduo post, quo de ultimo cruciatu, etsi nihil scriptum reperio, nisi *crudelissima tormenta*, sed quacumque tandem machina tortus sit, defectiones eiusmodi passus est ut se in iis putaret animam acturum, idemque crederent tortores; distulit illi mortem Deus, & magnæ sibi futuram gloriæ, bonoque